THEOLOGICA THEOREMATA

PERDILECTO DOLOROSÆ VIRGINIS FILIO,
SANCTITATIS PROTOTYPO PRÆCLARISSIMO,
SERVOR. MARIÆ CÆTUS AMPLIFICATORI MAXIMO,
SUMMO SERVITANÆ MILITIÆ HEROI

DIVO PHILIPPO BENITIO

IN DEVINCTI ANIMI MONUMENTUM
OBSEQUENTISSIME' NUNCUPATA;

ATQUE

Juxtà Mentem Doctoris Solemnis

HENRICI A' GANDAVO ORD. SER. B. M. V.

Ab Obiectorum Ictibus

PER FRATREM GHERARDUM BERRETTA A' PERUSIO
IN FLORENTINO SERVORUM LICÆO ALUMNUM
PUBLICE' VINDICATA.

FLORENTIÆ, MDCC.
Ex Typographia Petri Matini, ſub Signo Leonis Aurei,
SUPERIORUM PERMISSU.

PATER SANCTISSIME.

TRiumphalis victoriæ glorioſiſſimis coronis ut compta præcingat tempora, quis nunc ſepulcralibus Alexandri Macedonis precum vota appendet Urnis? Ad Theologici Sacramenti, Gordij nexu difficilius enodandum vinculum, cum Aræ Chriſtiadum validioribus abundent gladijs, fruſtrà ſacrificatur ſupplicantis victima gemitus corruptorum tibi Heroum cineribus: atquì incaſſum in ſuſpiria prorumpimus pro capeſſendo ferro, quod temporis tinea demolitur. Septem illos Enſes uberrima oratione appello, quos Tu PHILIPPE, Dolorum Sodalitijs ubique terrarum, ut univerſus Mæſtiſſimæ Matri tecum compateretur Orbis, erectis diſtribuiſti. Huiuſcemodi gladijs utraque parte acutis, & quia mentes almo elucidant lumine, & charitatis fulmine inflammant corda, ac vulnerant, expeditè non vereor, ſolventur doctrinæ ſacræ arctiores laquei, nodoſiores difficultates. His fortes Theologici mei Certaminis Impugnatores ſuperabo glorioſè, quibus Hæreſeos Tu confodiſti Coriphæos. His Hoſtes in Amicos convertam, quibus ferè divina tua dextera ſceleſtiſſimas animas ad ſummam Fidei perduxiſti ſanctitatem. Bethulia felix Iudith liberata ferro. Eccleſia felicior BENITII gladijs defenſata à Tyrannis, propugnata in Concilijs; & quo plùs vulnerata, uberiùs aucta. Invideant Candacis Reginæ Æthiopis fortunatiſſimis ignorantiæ tenebris Sole Philippi Bethſaidæ in ſplendidiſſimum lucidiſſimæ fidei

lumen immutatis, qui nobiliſſimi Florentiæ Civis PHILIPPI ſapientiam ignorant, non qui callent. Ætati quidem illi invidendum eſt, qua Pellitorum Turba, erranteſque Oves Ætiopum, peſtiferis infidelitatis nutritæ paſcuis, huius Apoſtolici Paſtoris vigilantiſſimo charitatis zelo Eccleſiæ in arvis ſale divinioris ſapientiæ depaſcebantur. Iſte etenim ante demiſſus pedes infirmæ Divinitatis ex participatione tunica pellicea noſtræ, immò cernuè recumbens ſuper dulciſſimi Vulnera Crucifixi, quem ſuum appellabat librum, cæleſtis Sapientiæ penetrabat arcana. Dic tu Florentia, tanti Viri glorioſiſſima Patria, quot Ætiopes Baptiſmo renatos per plurima ſæcula venerari non es admirata, veluti tabernacula ſanctitatis, paternas PHILIPPI Ædes? Impatientes quærere, ubinam felicia ſunt atria noſtræ Patris fidei, ut in lætitiæ lacrymas, in gratitudinis monumentum effundamur. Igitur ut ab Ægypto tetræ ignaviæ feliciter exeam, non cum Iſrael Turmis in columnam igneam pupillas dirigam, at in eum, qui ſancto Prophetiæ afflatus lumine, nocte ipſa obſcuriora prædicendo patefaciebat. Intuebimur ocyſſimè meorum Hoſtium acies mentis PHILIPPI noſtri humiliatas Altaribus, & ſacræ pugnæ contractos laqueos. Nec huius Tuſci Davidis victricibus gladijs in victoriæ cantus erumpent Virgines Sion, ſed cæleſtis Ieruſalem dulciſſimis citharis ſonori Cantores. In ambagibus, inflexiſque anfractibus diſceptationis hodiernæ inextricabilioribus creticis, ægyptijſque labyrinthis, non ad Ariadnæ ductricia fila, neque ad Theſei confugio induſtrias, ſed quem Angeli ex implexa ſylva tutè eduxere, cæleſtique pabulo recreavere, ſubmiſſè, ac enixè precor, & invoco. In bello hoc noli Tu eſſe formidini unica ſpes triumphi mei PHILIPPE BENITI. Protege labores meos. Præſertim attamen ſuper Animam Tui amantiſſimam firma, ob cuius gratiam in devotionis ardentiſſimæ immortale monimentum præſentia Tibi ſacrantur obſequia, ſaluberrimæ protectionis beniguiſſimos oculos. Cor, medullas, viſcera, caris dulciſſimi amoris transfige ſagittis, uti eius tenerrimis lacrymis pupillæ manent, quia Te flente Senariæ rupes uberrimis rivis fontes edidere lympharum.

DE DEO IN SE.

EXISTENTIA DEI.

I.

1. Deum eſſe in confuſo, & in generali, nobis naturaliter inditum eſt; eſſe verò etiam in ſpeciali, cognitionem importat per ſe notam ſolis Comprehenſoribus, & reſpectu noſtri purè induſtria, ac labore comparabilem.

II.

2. Huius cognitionis adeptionem Creaturis debemus, circa quas noſtros expendentes conatus, experimur, ex ipſis evidenter oſtendi poſſe, Deum exiſtere; & quidem apertam aliundè divinæ exiſtentiæ cognitionem haurire nequimus, nam

III.

3. A' priori induci non poteſt ratio aliqua demonſtrativa, quòd Deus ſit, nullam ſupra ſe rationem patiente divina exiſtentia, non tantùm phyſicè, ſed nec logicè, vel metaphyſicè ſuperiorem.

IV.

4. Licèt in cauſarum claſſe, quæ per accidens ordinantur, tolerari poſſet poſſibilitas proceſſus in infinitum; ab ea tamen, quæ ex cauſis conflatur per ſe ordinatis, explodi omninò debet, ut quid eidem repugnans.

V.

5. Ex pluribus demonſtrationibus divinam evincentibus exiſtentiam, optimas arbitramur, quæ ex motu, ex ratione cauſæ, & cauſati deſumuntur, & quæ via cauſæ formalis, ſeù exemplaris procedunt, atque finalis.

VI.

6. Dari poſſe inficiamur, ut cum capacitate peccandi tanta coniungi poſſit inſcitia, & hebetudo in homine, quòd invincibiliter ignorare cenſeatur, ſive poſitivè, ſive negativè, Deum exiſtere.

VII.

7. Divinum eſſe cum creato collatum, non univocatur cum eo in ratione entis, ſed æquivocatione amota, analogicam dumtaxat dicit cum ipſo convenientiam; qua maiore nec gaudere poſſunt aliæ perfectiones, Deo, creaturæque communes.

DEI QUIDDITAS, ET ESSENTIA.

I.

8. Pervadere uſque ad recolendum particulare illud eſſe Dei, quo primò, & per ſe differt à creaturis, noſtrum omnium exuperat ſenſum, cui ſolùm competere poteſt, vel etiam imperfectè, ex creaturis decernere, quid ſit Deus in ſuis generalibus attributis.

II.

9. Quod menti ſtatim affulget in primis entis conceptibus, eſt divinum aliquod prædicatum, non autem creati ratio, quæ ſaltem naturà poſteriùs attingitur; ad differentiam rationalis cognitionis, quæ primò ad creaturas terminata, poſtremò ſe ſiſtit in Deo.

III.

10. Metaphyſicum divinæ eſſentiæ conſtitutivum fruſtrà veſtigatur in gradu intellectivo. Si alicubi aſſequibile eſt, nonniſi in eſſe puriſſimo, & per eſſentiam, reſidere deprehendetur.

DIVINA UNITAS.

I.

11. Etſi per fidem indubij de Deitatis unicitate, nón parùm arridet, adversùs Polytheiſmum proferre, quòd etiam evidenti ratione evincitur, unum tantùm eſſe Deum: quinimmò Deorum plurificabilitatem eliminandam penitus fore ab ordine poſſibilium.

II.

12. Præter ſingularitatis unitatem, ſimplicitatis quoque unitate potitur Deus ad omnem à ſe repellendam compoſitionem ex partibus quantitativis realiter diſtinctis, quas inſipienter admodùm nonnulli in Deo commenti fuere.

III.

13. Neque generis, neque differentiæ ratio, atqueadeò nec ex genere, & differentia compoſitio, quæ metaphyſica nuncupatur, divinæ aſſociari queunt ſimplicitati.

IV.

14. Immò vel etiam minimam, qualis reputatur ex potentia, & actu, compoſitionem, & quæ non ſit pura denominatio extrinſeca, divina averſatur ſimplicitas, omnimodam proinde in Deo redolens identitatem.

DEI IMMUTABILITAS, ET ÆTERNITAS.

I.

15. Summa in Deo viget immutabilitas, omnis penitùs viciſſitudinis obumbrationem removens, quàm independenter à fide ſuper hoc inſtruente, a priori comprobat, & fovet divinitatis intemerata ſimplicitas.

II.

16. Tria referuntur durationum genera, temporis, ævi, æternitatis, ſed cum tempus, & ævum defectui obnoxia comperiantur, ſola æternitas, nullam in ſe variationem claudens, divino proportionatur eſſe in immutabiliter durando ſine principio, & abſque fine.

III.

17. Antequam res in lucem prodeant, terminare ab æterno divinum intuitum, firmiter perſuaſum habemus; ſed quòd præter intentionalem hanc præſentiam, phyſicam inſuper obtineant coexiſtentiam cum Deo in ſui æternitate ab æterno, aſſeverare refugimus.

IV.

18. Æternitas Dei eſſe divino homogenea eſt, aptæque certificare, quantus ſit Deus in durando. Quid igitur prohibebit, eamdem dici poſſe menſuram Dei? Addo, quòd etiam durationis creatæ menſura eſt, extrinſeca tamen, atque excedens.

DE

DE DEO VISO.

DEI VISIO.

I.

19. BEatam adepti ſortem, quam ex præcordijs auſpicantes alijs, nobis etiam divina aſpirante gratia futuram attendimus, Deum, etsì lucis inacceſſibilis habitatorem, immediatè, & in ſe cõtuentur.

II.

20. Homo, cui non ſit intellectus indiſpoſitus, naturale experitur deſiderium ab inſpectis effectibus, eorum cauſam intuendi; & ex ipſo deſiderio, efficax illud ſit, ſivè inefficax, apprimè arguitur, Dei viſionem impoſſibilem non eſſe.

III.

21. Cœli ingreſſum non expectant uſque ad Judicij diem, & multo minùs poſt longiorem adhuc millenarij terminum Juſtorum Animæ; ſed cœleſtem Patriam mox conſcendunt, quæ abſque reatu migrant; illicò poſt expletam purgationem, quæ cum eodem carnis clauſtra exiere.

SPECIES IMPRESSA, ET EXPRESSA.

I.

22. UTiquè fœcundatione indigus eſt intellectus, ut aciem valeat figere in excellentiſſimum illud objectum, quod Deus eſt, ſed eam aliundè capere nequit, quàm ab eſſentia divina ſub munere ſpeciei; tàm actù, quàm de poſſibili repugnante creata ſpecie impreſſa.

II.

23. Et quamvis abſtractiva Dei cognitio, etsì quidditativa, clara, atque diſtincta, inferior ſit Dei viſione, qua in ſe, & abſque velamine ſpectatur divina eſſentia, tamen neque pro abſtractiva hac cognitione poſſibilis eſt ſpecies impreſſa.

III.

24. Nec itidem in viſione Dei formatur, vel dari poteſt ſpecies expreſſa divinitatis, ſivè verbum mentis creatum, à Deo adæquatè diſtinctum, quod affinitatem cum impreſſa ſpecie tenens, iure meritò inter entia fictitia computari meretur.

LUMEN GLORIÆ.

I.

25. TAngantur, vel non à damnatione Conc. Vien. ſub Clem. V. aſſertores poſſibilitatis intellectus valentis per ſola ſua naturalia videre Deum, válido aliundè freti præſidio, poſſibilitatem huiuſmodi, à comprincipio ſupernaturali elevante independentem, omninò contemnimus.

II.

26. Adeò elevatur viſio Dei in ſui perfectione, & excellentia, ut cenſeatur eſſe ſupra vires phyſicas, & activas omnium ſubſtantiarum, tàm exiſtentium, quàm poſſibilium, ac propterea nec dabilis eſt ſubſtantia intellectualis ſupernaturalis, cui connaturale ſit, atque debitum videre Deum.

III.

27. Immediatus Dei illapſus per modum formæ intelligibilis, Beatorum intellectum nec elevat, nec vigorat in ordine ad viſionem: hoc enim fungitur munere, de lege ſaltem ordinaria, ſolum lumen gloriæ, habituale, & intrinſecè receptum in potentia.

IV.

28. Natura humana, divino hipoſtaticè unita ſuppoſito, nequit non frui; & licèt lumine deſtituta, tàm actuali, quàm habituali, frueretur adhuc, operante Deo per ſe ipſum totam illam elevationem, quam exigit viſio: quod luminis ſupplementum quoad ſui efficientiam, præſtari à Deo poteſt etiam in natura non aſſumpta.

V.

29. Cum autem lumen gloriæ in viſionem influit, non ſolitariè, ſed unà cum illo concurrit immediatè & virtus nativa intellectus, itaut ex utroque conſurgat, tamquam ex duabus partibus integrantibus, totalis agendi ratio.

INVISIBILITAS DEI, EIUSQUE INCOMPREHENSIBILITAS.

I.

30. Corporeum oculum, non dico tantùm exiſtentem, ſed vel etiam poſſibilem, hac inſignire capacitate, ut, attenta Dei abſoluta potentia, poſſit pertingere ad ipſum cernendum, prodigalitatis, atque adulantis animi artificium eſt, non verò iuſtitiæ, aut veritatis opus.

II.

31. Inſtructo agmine cum Catholicis omnibus, in temerarium illius ſectæ auſum irruentes, cuius Aſſeclæ Deum à ſe comprehenſum faciebant, propugnamus eumdem ab omni Viatore incomprehenſibilem; & præterea omnem beatum, atque creabilem intellectum abſorbentem.

III.

32. Neque formidandum eſt, ab hac veritatis via aberrare, qui daret, in Verbo à Beatis videri nedùm quæ formaliter in Deo ſunt, ſed etiam quæ eminenter, nempè poſſibilia omnia; hoc enim Dei comprehenſionem non trahit.

IV.

33. Contemplantes, quæ Deo formaliter inſunt, de facto, & iuxtà communem curſum, unà cum eſſentia intuentur Perſonas, & attributa; nec fieri poteſt, etiam ſecundùm potentiam abſolutam, ut hæc eadem alio modo conſpiciantur, eſſentia ſcilicet ſine attributis, & perſonalitatibus, vel una Perſona ſine alia.

V.

34. Poteſt tamen contingere, ut beatitudine donatus, nullam in ipſo Deo poſſibilem creaturam, ſecundùm quòd iſta quid aliud eſt à Deo, intueatur; non quidem vi præſentis elevationis intellectus, ac manifeſtationis divinæ, ſed alterius merito.

VISIONIS MENSURA.

I.

35. Parificantur in beatitudine, æqualiterque Deum vident, qui æqualibus meritis ab hac vita receſſerunt: impares verò in beatitudinis præmio inveniuntur, ac Dei viſione, quibus in hac mortali vita operum diſcretio fuit.

36. Ha-

II.

36. Harum in Patria viſionum inæqualitas non aliundè, tamquam ex cauſa phyſica, & proxima, ortum ducit, quàm ex inæqualitate luminis gloriæ; melioribus intellectuum naturalibus non proficientibus, niſi ad perfectiorem, hoc eſt expeditiorem modum eliciendi viſionem beatificam.

DE DEO SCIENTE.

INTELLECTUS DIVINUS, EIUSQUE INTELLECTIO.

I.

37. Deus verè, & propriè intellectivus eſt, quod Iniquorum malo, quibus contrarium expediret, irrefragabiliter evincunt cum ſacris literis divina providentia, iuſtitia, miſericordia, &c. & etiam potiſſimè teſtatur ſumma Dei immaterialitas, divinam inferens intellectivitatem.

II.

38. Dignitati intellectus divini non detrahit ratio potentiæ intellectivæ, quoquo pacto diſcretæ à potentia purè logica intellectionis, ac proindè conſultum eſt ſatis eiuſdem perfectioni, relegato quovis alio potentiæ genere.

III.

39. Egreditur intellectio divina ab intellectu ut à ſui principio, non quidem reali, quod eam, cæteroquin ab omni imperfectionis labe puriſſimam, inquinaret; benè tamen ut à virtuali principio, cuius principiandi ratio originativè dicitur eſſe in re, formaliter verò, & completivè in intellectu.

IV.

40. Deſideratis deſiderandis, ut in Deo tàm ex parte intellectus adſtrui poſſit ratio habitus, quàm ex parte voluntatis, integer adhuc perſeverat illius conceptus, quem divina induens ſcientia, nuncupatur habitualis, ſeù ſcientia per modum habitus.

DIVINI INTELLECTUS MOTIVUM.

I.

41. In ordine ad propriam intellectionem admittere non renuit divinus intellectus obiectum formale motivum, non quod potentiam realiter moveat, ſed quod eam purè ratione noſtra, & cum fundamento in re determinet ad omninò indiſtinctum actum.

II.

42. Huius prærogativæ non eſt motivum creatum, ac propterea nulli creato enti, ſed increato dumtaxat competere poteſt ratio formalis motiva divini intellectus ad intelligendum ſe, & alia à ſe.

III.

43. Immò nec relationes, vel attributa, ſi ſecundùm id ſpectentur, quod divinæ eſſentiæ formaliter ſuperaddunt, hanc ſibi vindicare queunt motivi rationem; ſed ſolius eſſentiæ divinæ eſt, illam iactitare.

OBIECTUM NECESSARIÒ COGNITUM.

I.

44. DEus ſe ipſo beatus, ſui neſcius erit? Immò non ſolùm ſe cognoſcit, ſed perfectiſſimè comprehendit, omnem ſui, & quæ in ipſo perceptibilia ſunt, intelligibilitatem plenè exhauriendo.

II.

45. Exactiſſima hæc Dei cognitio illud præſtat, ut ſe ipſum Deus rimando, in ſe ipſo tamquam in medio cognito cernat omnes poſſibiles creaturas, ſeù rerum omnium quidditates, cum quibus etiam indiſſolubiliter connectitur.

III.

46. Et licèt non purè in Deo conſiſtens ſit poſſibilium cognitio, ſed verè ad illud eſſe creaturarum terminetur, quo inter ſe, & à Deo ſecernuntur, adhuc eſſe nequit niſi mediata; ſiquidem refragamur omninò cognitioni immediatæ poſſibilium in ſe ipſis.

FUTURUM CONTINGENS ABSOLUTUM.

I.

47. PRopoſitiones de futuro contingenti abſoluto, ſi in priori inſpiciantur ſigno ad divinæ voluntatis decretum, deſtitutæ inveniuntur tàm veritate, quàm falſitate: ſi in poſteriori, determinata affectæ aut veritate, aut falſitate.

II.

48. Inſanire eſt, ſuum etiam dantibus ſuffragium Sacra Scriptura, ac Sanctis Patribus, Deum naturam excellentiſſimam, immutabilem, ac providum admittere abſque futurorum præſcientia, ſeù cum eo, quòd futura abſoluta ipſius ſubterfugiant intuitum.

III.

49. Omnium conditor Deus, non ſcientiæ viſionis dictamine utitur, cuius non eſt, niſi res faciendas ſpeculativè contemplari, ſed directionem ſectatur ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ in ijs edendis, atqueadeò hæc eſt, quæ rationem ſortitur cauſæ rerum.

IV.

50. Contingentia abſolutè futura præſciuntur à Deo in ſuo decreto prædefinitivo; quo præciſo, nec in proprijs eorum ideis, nec in voluntate creata etiam ſupercomprehenſa, aut cum illis moraliter connexa, vel etiam in eorum phyſica præſentia ab æterno, cognoſci queunt.

V.

51. Sed altioris adhuc neceſſitatis deprehenditur hoc decretum, ut ſi eius loco ſubrogetur vel ipſa veritas obiectiva futurorum ad eadem certò, & infallibiliter prænoſcenda, inutiliter id fiat, repugnante penitùs futurorum cognitione immediata in ſe ipſis.

VI.

52. Inter contingentia abſolutè futura utinam falsò recenſerentur peccata; ſed cum pro his dignoſcendis execrabilis, immò impoſſibilis ſit recurſus ad decreta prædefinitiva ipſorum, pro infallibili medio illa prænoſcendi decretum exhibemus permiſſivum.

FUTURUM CONTINGENS CONDITIONATUM.

I.

53. Conditionata ſcientia, vel potiùs conditionatorum, ſeù conditionalium ſcientia, non eſt, cur Deo ineſſe dicatur reſpectu eorum, quæ à cauſis neceſſarijs pendent, & non etiam concedatur reſpectu cæterorum, quæ à cauſis liberis, ipſiſſimo pro utriſque militante iure.

II.

54. Futura libera conditionata ſuam ſumunt futuritionem à decreto Dei actù exiſtente, quod dici ſolet abſolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti; nec aliundè, quàm ab huiuſmodi decreto, derivari in eadem poteſt eorum æterna, ac libera futuritio.

III.

55. Scientia, qua Deus novit futura libera conditionata, præfatæ naturæ decretis innititur, non ſolùm ut cauſæ futurorum, ſed prætereà tamquam rationi eadem cognoſcendi; nec abſque huiuſmodi dependentia fieri potuiſſet, ut divinam ſubintraret mentem, à qua proindè Mediam expungere opus eſt.

APPENDIX AD PHILOSOPHOS.

EX LOGICA.

1. Logicæ facultas, abſque cuius ductu haudquaquam commodè quis ſibi alias comparat ſcientias, pro ſuo obiecto ſecundas affectat intentiones.

2. Non datur univerſale à ſingularibus ſeparatum, ſed per ſolam intellectus negotiationem habetur; & reſpectù quinque Prædicabilium univocè dicitur.

3. Generis ratio corruit, deficiente ſpecierum pluralitate: at ſpecies ſtat, etiam unico exiſtente individuo. Differentiæ autem propriſſimæ neque intenſionem, neque remiſſionem patiuntur.

4. In prædicamento ſubſtantiæ non poteſt reponi Deus: Angelis verò non eſt, cur cum reliquis ſubſtantijs ibi contineri nequeant.

5. Veritas, & falſitas formalis apud intellectum ſunt, ſicut fundamentalis ex parte rei; & aſſenſus præmiſſarum effectivè concurrit ad aſſenſum concluſionis.

6. Voces, quibus alloquentes utimur, ex placito ſignificant, & noſtros manifeſtant conceptus immediatè, licèt non ultimatè.

7. Scientia, & fides compatiuntur in eodem intellectu circa idem materiale obiectum; Opinio verò fidei actum repellit, atque etiam ſcientificum.

EX PHYSICA.

8. Occupatur Phyſica circa ens mobile, in quo mobilitatem præ cæteris rationibus pro formali obiecto ſibi vindicat; & dum illud de novo fit, nec plura, nec pauciora quàm tria interſunt principia.

9. Ma-

9. Materia prima non eſt proprio actu exinanita, nec exiſtentiam emendicat à forma; gaudet ingenerabilitate, & incorruptibilitate, & ſibi potentiæ rationem identificat.

10. Totum non eſt quid aliud à partibus ſimul ſumptis; in ſe unionem claudit, à materia, & forma cōtradiſtinctam; & naturæ cōceptum perfectè ſuſtinet.

11. Locus penes ſuperficiem mobilis, immobilis eſt ſecundùm diſtantiam. Poſſunt duo corpora divinitùs eſſe in eodem loco: at pluribus in locis, præterquam ſacramentaliter, eſſe nequit idem numero corpus.

12 Quantitas eſt ſpeciale accidens, à materia realiter diſtinctum; & in quocumque quantitatis genere repugnat infinitum categorematicum, ſecùs ſincategorematicum.

13. Continuum non componitur ex indiviſibilibus, ſed partibus conſtat ulteriori ſemper diviſioni in infinitum ſe offerentibus.

14. Cœli non ſunt animati, ſed ab Intelligentijs debito motu ducuntur. Mundus, tàm quoad permanentia, quàm quoad ſucceſſiva, eſſe non potuit ab æterno.

EX METAPHYSICA.

15. Generationis, & corruptionis termini ſunt ipſum eſſe, & non eſſe rei, quæ noviter fit, vel deperditur; nec in huiuſmodi rerum diſcrimine contingit reſolutio uſque ad materiam primam.

16. Alterationis motus ſucceſſivus eſt, eoque magis qualitas radicatur in ſubiecto per additionem partis ad partem; & licèt accidentalis formæ actio ad generationem diſponat, non tamen ſubſtantiæ productionem attingit.

17. In ens ſimpliciter ſuas dirigit Metaphyſica ſpeculationes, principaliùs tamen ſub ratione ſubſtantiæ de illo conſiderans, quàm ſub ratione accidentis. Eſt ſcientia una per attributionem, & cæterarum ſubiecta ſub proprio continet.

18. Virtus creativa principalis nequit, vel divinitùs, alicui creaturæ communicari; imò nec cauſa inſtrumentalis phyſica locum habere poteſt in rerum creatione.

19. In compoſito humano præter animam rationalem, naturaliter incorruptibilem, & immortalem, quæque ſibi ſuas realiter identificat potentias, admittere fas eſt corporeitatis formam.

20. Relatio nihil reale dicit, circumſcripta realitate ſui fundamēti. Abnuit una eſſe fundamentum alterius; eſſe tamen poteſt unica ad plures terminos.

21. Bipartitur rerum poſſibilitas in intrinſecam, & extrinſecam; quòdque ſuppoſitum addit ſupra earum naturam, quæ ſubſiſtunt, non aliquid poſitivum eſt, ſed negativum.

LAUS DEO.

Publica erit Concertatio Florentiæ in alma D. Annunciatæ Bibliotheca. Qui ſupra, obiecta dirimet ſub aſſiſtentia R. P. M. Fulgentij Piatti à Bergomo, Studij Regentis. Anno 1700. *Menſe Die Hora*

99 352167